*eſt argumentatio.* Ratio eſt; quia novum illud nomen non eſt qualitas aliqua infuſa, ſed eſt cor aſperſum ſangvine Chriſti. *Apoc.2.17.*

## Caput XXXII.

### *De Cœnâ Domini.*

I. *A Nominibus huius ſacramenti eccleſiaſticis nō licet argumētari niſi quatenus conſentiant cum Scripturâ.* Huiuſmodi inprimis ſunt iſta: Miſſa, Liturgia, Sacramentum altaris, Sacramentum corporis Chriſti. Vbi & illa cautio eſt adhibenda, ut iſta nomina explicemus ex mente & ſcopo authorum, adeoq; ex piæ antiquitatis monumentis, non verò ex ſequioris ævi lacunis.

II. *A phraſibus ſacramentalibus ad proprias non valet conſequentia.* Oportet enim locutiones improprias reſolvere in proprias homogeneas, nō verò heterogeneas. e.g. cum Chriſtus de pane ait, Hoc eſt corpus meum; genuina huius phraſis explicatio hæc eſt, Panis eſt corpus Chriſti ſacramentaliter.

III. *A cœnâ Domini ὅλως conſideratâ ad cœnam partialiter conſideratam non valet argumentatio.* Nam ibi eſt actio compoſita ex viſibili & inviſibili, corporeo & ſpirituali: hic eſt nuda ſignificatio communionis externæ.

IV. *A figuratâ locutione ad obſcuritatem illius argumentum eſt inconveniens.* Nec enim ſi figuratū eſt, ideo non eſt perſpicuum: vel contrà ſi perſpicuum eſt, ideo non eſt figuratum.

V. *A teſtamenti factione ad propriam locutionem nulla eſt concluſio.* Nam teſtamentum poteſt